

108

LVCTVSET PIETATIS  
SYMBOLA,  
*IN OBITVM*  
*VIRI*  
*NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI*  
*DOMINI*  
**DN. DANIELIS**  
**CHRISTOPHORI *Fanisen***  
CONSVLIS SENIORIS IN CIVITATE REGIA  
LONGE MERITISSIMI UT ET  
POST ARUM MAGISTRI  
SPECTATISSIMI,  
DIE V. MAII A. c<sup>is</sup> IccXI.  
PLACIDE DEFVNCTI,  
IN IPSO SOLENNIVM EXEQVIARVM  
DIE XII. EIVSD.  
L. M. Q.  
DABANT,  
LVGENTESQVE SOLARI CONABANTVR  
RECTOR ET PROFESSOR. GYMN. THOR.  
\*\*\*\*\*  
THORVNII,  
Impresit Joannes Nicolai, NOB. SENAT. & GYMN.  
Typographus.

**O**MNIA, quae cernis, miserae subiecta ruinae  
Ipsò, quo steterant, pondere quaeque cadunt.  
Quae molitur homo, licet ipsum gloria coelum  
Exuperet, tandem tempore cuncta ruunt.  
**M**uro stent duro turrita palatia Regum,  
Vrgenti fato sunt ruitura suo.  
**I**nsequitur Dominus sic aedes saepe cadentes,  
Ac aedes Domini fata subinde sui.  
**I**am, Defuncte, tuis curis tua tecta renident,  
Cum pulchram velles incoluisse domum,  
**A**st emigrandum est: Heuq; sententia fallit!  
Conduntur busto corporis exuviae.  
**E**xcedis terra atque domo, quo laetus Olympum  
Intres, laetitiae deliciique domum.  
**I**nsurgant gentes, urbes et moenia belli  
Firma furore ruant, multaque castra fremant.  
**T**alia non curas meliori sede locatus  
Atque Dei teetus cunctipotente manu.  
**H**aec tegat ac firmet Generum Natamque Beati,  
Et cunctos, qui iam congemuisse solent.

f.  
M. P. IAENICHIUS, R.

\*\*\*\*\*  
**N**ON minima est virtus Regum splendere favore,  
Et titulis nomen condecorare novis.  
Officio fungi Postarum rite Magistri  
Non vulgi, verum est nobilitatis opus. \*  
Quandoquidem totus Regni Lithwæque Senatus  
Concessit Regi, juraque sancta dedit. \*\*

Ut

\* Vid. B. Hartknoch. Reipubl. Pol. Lib II. Cap. IV. circa fin. §. 2.  
\*\* Gl. m. Sigismundo III. R. P. & M. D. L. a tota Republ. concessa  
est facultas postas ordinandi & constituendi, ut habet Const.  
An. 1620. f. 17.

Ut Postæ justis & certis curribus irent,  
Atque rotas celeres oppida nulla darent.  
Hanc Wladislaus legem cognomine Quartus  
Firmavit Lechici lausque decusque soli.  
Quando Teutonicæ gentis pro more vetusto  
Constituit rhedas multiplices & equos. \*\*\*  
Littera quo possit citius perscripta volare,  
Nuncia sive boni, nuncia sive mali.  
Sparta hac, crede mihi, non est præstantior ulla,  
Quae populis cunctis commoda mille parit.  
Huic admotus erat Regum virtute duorum  
JANITZON nostri portio chara chori.  
Ornavitque illam digne, rebusque secundis  
Vsus, egenorum portus apertus erat.  
Saltum non fecit, cum per suffragia Patrum  
Crevit; nam Senior Consul in urbe fuit.  
Sed titulos (quamvis claros) despexit in orbe,  
Et coluit verum simplicitate DEUM.  
Scilicet invidit magnum decus Atropos Urbi,  
Et rapuit plenum dexteritate Virum.  
Interea ad Superos migravit Consul amandus,  
Gaudiaque æternum cœlica Victor habet.  
Te precor, alme DEUS, Generum Natamque benignam  
Serves, ne violet mors nisi sera torum.  
Exspectat tales dudum Respublica fructus,  
Heu! nimium multis qvæ scatet aucta malis.

Novissimum honoris officium pie  
defuncto Dn. Consuli & Nobiliss.  
Heredibus præstitus L. app.

M. MARTINVS Bohm.

\*\*\* Leg. Conf. An. 1647. f. 9 & nunquam satis laudandus B. Hartknoch.  
Reip. Pol. L. I. C. II. p. 98.

**O**Mnia dum rident, dum florentissimus annus  
Est, quo sub cœlo cuncta virere solent ;  
Quoque solent plures animantes sumere vitam,  
Ac generis numerum multiplicare sui ;  
Humano generi Natura noverca videtur  
Esse, qvod hoc ipso tempore diminuit.  
**M**ensis enim quintus, Majus qui dicitur, hujus  
Quinta dies, hujus quintaque dum hora ruit,  
Quinque simul sensus moribundi Consulis artus  
Et totum corpus destituisse ferunt.  
**C**redere vix poterunt absentes tempore veris  
Tam fortem morti succubuisse Virum :  
**V**ivere quem potuisse putarunt Nestoris annos  
Seros, quos etiam vivere dignus erat.  
**G**loria Majorum siquidem per Eum fuit aucta  
Legitimis mediis innumerisque modis.  
**O**fficiis, queiscunque fuit præfetus in urbe,  
Perpetuo studuit ritè satisfacere.  
**Q**uippe Scabinorum donec fuit ille Magister,  
Judicis exacti munia sustinuit.  
**C**onsulis at postquam summos accepit Honores,  
Consilia ingenuo Consule digna tulit.  
**Q**uantos munificus largusque parârit amicos,  
Inter nos cunctis inde patere potest,  
**T**am charus fuerit quod Regibus atque Ministris  
Aularum, nec non militiæ ducibus :  
**Q**uos adversa minantes complacare sciebat  
Ut verbis aptis sic quoque muneribus.  
**H**i dum percipient tantam cecidisse columnam  
Reipublicæ, tristes talia verba dabunt :  
**O** nos felices ! nostris si consona votis  
Sivissent illum vivere fata diu.  
**S**ed juvat has citius terrenas linqvere sedes,  
Ad se quem Superum regna beata vocant.  
**N**os pietas jubet, ut gratemur gaudiâ Eidem  
Cœlorum, qvæ vis tollere nulla valet :  
**N**osque decet laudes semper cantemus ut ejus,  
Nomen & insculptum pectora nostra gerant.

Tantum  
In memoriam d' laudem Magnifici Consulis  
lugens scr.

M. Martinus Bertleffius, P. P.